

Hygini gromatici liber de munitionibus castrorum

quo tempore scriptus esse videatur quinque adhuc prolatae sunt opiniones. Lachmann¹ fragmentum 'eidem quem auctorem libri de limitibus constituendis statuit, tribuit, in sermone nihil inesse concedit quod librum tempori post Constantinum Magnum tribuere nos iubeat'. Contra Lange Traiano oblatum esse contendit. Minus discrepat inter reliquos. Droysen² enim intra annos 240 et 267 confectum esse libellum putat, Gemoll³ tempori Caracalla posteriori adsignat, Marquardt⁴ Septimii Severi aetatem deprehendisse sibi videtur. Langei sententiam mittamus ut iam refutatam a viris doctis. Gemollii vero iudicium si commemorasse satis habuero, neque incommodo rem neque auctorem iniuria a me adfectum puto. Solis cum Droyseno et Marquardtio mihi res erit.

Nitebantur ei argumentis his. Legiones quibus castra constituuntur ab Hygino, proprio et sibi insito equitatu carent; tum legioni praeest legatus. Itaque Droysen, quod post annum 240 equites legionarii non invenirentur et anni 267 exstaret titulus quo 'legatus legionis agens vices legati' commemoraretur, intra illos annos fragmentum scriptum esse conligebat. Tertium argumentum addidit Marquardt. Inter auxiliares enim quibus exercitus instructus est, Palmyrenorum profertur natio. Palmyrenos autem, quippe qui iure Italico fruerentur Caracalli aetate, post id tempus non potuisse vocari nationem ait, sed effici potius librum scriptum esse ante Caracallam.

Inspiciamus igitur argumenta illa accuratius ac primum videamus de legatis. Quos quin proprios et legitimos legionum rectores esse putet Hyginus dubitari nequit⁵. Sed de tempore ex quo

¹ Hyg. ed. Lange p. 51. 45. ² Mus. rhen. XXX p. 469 sq.
³ Herm. XI p. 164—178. ⁴ röm. Staatsverw. II p. 578 sqq. ⁵ cf. § 5:
'legatus eorum pariter non [est] . . . legio et legatus eorum'.

legati legionibus praeesse desiderint, capitalem video circumferri errorem. Posteriores quidem eis, qui Gallo et Gallieno imperantibus fuerunt¹, ne mihi quidem contigit reperire legionum legatos; sed omnino eos nec fuisse neque esse potuisse nemodum probavit. Sane Gallienus 'motu socordiae suae, ne imperium ad optimos nobilium transferretur, senatum militia vetuit, etiam adire exercitum' (Aur. Vict. Caes. XXXIII 34), neque est cur his verbis fidem denegemus². Vnde quia legatos legionum esse senatorii ordinis necesse erat, legatos legionum patet non posse fuisse senatorios quamdiu Gallieni edictum valuerit. Sed nequaquam id quod viri docti dicunt³, inde efficitur ut legati legionum tum omnino nulli esse potuerint. Et eodem Victore teste (XXXVII 6) Gallieni edictum post rescissum est, quamquam tum senatores in capessenda republica adeundaque militia segniore fuerunt. Abrogatum autem est aut Tacito regnante aut antea. Eo igitur tempore legatos legionum esse potuisse nemo apte negabit⁴. Nam quod Victor dicit 'neque Florianus temere invasisset . . . amplissimo ac tanto ordine in castris degente', quis est quin videat ea ratiocinatione deflectere eum a recta via, cum etiam illo tempore quo senatus in castris degebat ante Gallienum tamen homines barbarae originis aut saltem non senatorii ordinis facti sint Augusti? 'Operam perdis, o bone' inquiet Droysen 'cum anno 267 legionem constet rectam esse a praefecto'⁵. De praefecto libentissime concessero, sed longe aliud atque Droyseno placuit inde concludendum est. Ipsos adeamus titulos, nam praeter eum, quem Droysen advocavit, repperi duos quorum aetas definita esset⁶. Sunt vero hi: CIL. III 3424 VAL(erius) MARCELLINVS · PRAEF · LEG · PROT(ector) AVG(usti) N(ostri) A(gens) V(ices) L(egati) (a. 267); ibidem 4289 A/R(elius) SVPERINVS PR[ae]F(ectus) LEG · I · ADI · A · V · L (a. 269); ibidem 3469 A^B(ius) PATERNIANVS ·

¹ Duo sunt: Brambach inscr. Rhen. 500. CIL. VII 107. ² cf. Hirschfeld Untersuch. a. d. Geb. d. röm. Verwaltungsgesch. I p. 235. 297. Mommsen, röm. Staatsr. I² p. 527 not. 3. ³ Wilmanns ephemer. epigr. I p. 105: 'legatione legionaria sublata'. Marquardt p. 444. ⁴ cf. Vopisc. Flor. 19, 3: 'nostri (senatorii) ordinis sunt potestates'. ⁵ cf. Wilmanns l. l. p. 102: 'iam cum Gallienus homines ordinis senatorii militaribus honoribus fungi vetuisset ideoque legatos legionum sustulisset, vices legatorum susceperunt praefecti, unde a Gallieni aetate usque ad Diocletianum saepius dicuntur agentes vices legati'. ⁶ De aetate tituli CIL. III 3426 T · FLAV · VICTOR [a] V · L · P · PRAEFE · LEG · II · AD non accurate constat. cf. Wilmanns l. l. p. 99 (n. 29).

V(ir) E(gregius) PRÆF · LEG · II · ADIVT · A V (a. 284). Fortasse aliquis suspicabitur, quæ fuisse videtur Droyseni opinio, sublata legatione legionaria praefectos illos constitutos fuisse legionum ductores legitimos, ita ut 'praefectus legionis agens vices legati' publica et sollemnis eorum fuerit adpellatio. Cui opinioni si quis favet, non recte favet. Primum enim id si fuisset, in titulo isto scribi non poterat 'praefectus legionis, protector Augusti nostri, agens vices legati', quoniam adpellatio quamvis ampla, qua honoris gradus significatur unus atque simplex, qualis fuisset praefecti in legati locum substituti, aperte non potest dirimi titulo protectoris, nisi forte putamus 'praefectus legionis protector Augusti' fuisse titulum simplicem. Deinde ipsa 'agens vices' formula docet non successisse praefectum in legati locum. Nam sicut procurator Augusti dicitur agere vices praesidis¹, quia forte fortuna ipse praeses non adest², ita videtur praefectus legionis vices agere legati absentis vel casu aliquo praepediti³. Cum procurator provinciae, cui legitime praeerant procuratores, adpellaretur 'procurator et praeses', 'procurator pro legato' al., alius provinciae procurator dicitur vice praesidis fungi⁴. Significatur igitur 'agens vices' formula fungi aliquem honore qui legitime ei non conveniat, eamque etiam ibi adhiberi necesse erat, ubi procurator imponebatur loco legati licet non defuncti aut casu praepediti vel absentis, si modo ea provincia non ex lege pertinebat ad procuratorem. Qua ex analogia fieri non potest quin concludatur, si ponamus praefectum legionis agentem vices legati eum esse qui ab imperatore legioni praepositus sit, tamen legionis imperium non modo ad praefectum, sed ne ad agentem quidem vices legati praefectum pertinuisse legitime. Immo si invaluisset velut Gallieno consilium praefectorum legionibus praeponendorum, iustum eorum nomen fuisset 'praefectus legionis pro legato', non solum ad procuratorum

¹ Disputavit de re eiusmodi Marquardt, l. l. I p. 391. 'Hat ein Unterbeamter die Vertretung des Proconsuls, so . . . nennt er sich in der Kaiserzeit legatus oder quaestor vice proconsulis'. cf. Borghesi oeuvres I p. 483 sqq. ² CIL. V 875 'procurator provinciae Asiae, quam mandatu principis vice defuncti proconsulis rexit'. Ruinart act. mart. Veronae 1731 p. 83 a (a. 202). 'Hilarianus procurator qui tunc loco proconsulis defuncti ius gladii acceperat.' ibid. p. 201 b fin. (a. 259, 260) procurator 'qui defuncti proconsulis partes administrabat'. ³ cf. Veg. II 9: 'praefectus legionis . . . absente legato tamquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat'. ⁴ cf. Marquardt l. l. I p. 415.

aliorumque analogiam, sed ipso Tacito teste qui tradit (ann. XV 28) Vinianum Annium, quia nondum senatoria aetate fuerit, pro legato legioni impositum esse. Quae cum ita sint, noli dubitare quin earum legionum, quarum praefectos videmus agentes vices legati, etiam tum cum tituli positi sunt, legitimi rectores habiti sint legati, immo in omnibus legionibus eam fuisse rem tuto concluderis. Forsitan ad infringendam sententiam meam attuleris titulum CIL. III 99: 'Iulio Iuliano v(iro) e(gregio) ducenar(io) praef(ecto) leg(ionis) I Parthicae Philippianae, duci devotissimo, Trebicius Gavoinus, praef(ectus) alae novae firmae (miliariae) catafract(ariorum) Philippianae, praeposito optimo', quia praefectus hic, qui ne vices quidem legati agere dicatur, et dux sit et praepositus adpellatur a praefecto alae. Verum si ea contuleris quae Mommsen de ducis adpellatione exposuit¹, propter adpositum ducis nomen 'agens vices legati' omissum esse intelleges.

Comperimus igitur e titulis usque ad annum 284 legitimum legionis rectorem habitum esse legatum. Etiam postea durasse idem non possum demonstrare. Verum legitimus ductor non fuisse videtur praefectus legionis, cum etiam Diocletiani et Maximiani temporibus inveniuntur praefecti legionis simpliciter adpellati², qui si tenuissent legionis imperium, verisimillimum, ne dicam necesse est id eos fuisse praedicaturos. Praeterea considerandum est non id Hygino propositum fuisse ut rei militaris statum diligenter describeret, sed ut exercitui castra constitueret. Cuiusmodi scriptoris nihil interest, utrum legatus illo ipso tempore legioni praesit an qui eius vices agit, modo legatus sit legionis rector legitimus. Itaque nihil obstat legatus, quominus vel exeunti tertio saeculo libellum adsignemus.

Duo quae restant argumenta a Marquardtio adlata inter se pugnant. Ille quidem qui primus civitate Palmyrenis data utitur, hoc argumento ut firmiore nisus alterum ita immutavit, ut congruere cum altero videretur. Nos illud interim mittemus, quam sit firmum mox iudicaturi, postquam fundamenta firmiora alteri subiecerimus. Videamus igitur de equitatu legionario.

Legiones Hygini suo carere equitatu inde elucet, quod nusquam equitum legionariorum infertur mentio, alterum argumentum idemque gravius infra ponam. Vno eodemque tempore omnibus

¹ A. v. Sallet die Fürsten von Palmyra Berol. 1866 p. 72 sqq.

² Renier 109. Hic praeses provinciae summum tenebat legionis imperium. cf. Mommsen apud Sallet. l. l. p. 73. Brambach 467 (a. 295).

ex legionibus demptos esse equites proclivis est suspicio. Marquardt tamen dubitat, nam sicut una fuerint cohortes equitatae et peditatae, sic posse legiones quoque equitatas et peditatas una fuisse per aliquod tempus. Itaque legiones equitatu instructas non fuisse statuit in Hygini exercitu, cum alibi fuerint. Quod si ita esset, vestigium eius rei nos aliquod deprehensuros esse aio. Scriptor enim cum conclusionem prioris partis faciat, tam accurate agit ut quid faciendum sit 'si cohortes equitatae in eo exercitu omnino non fuerint', declaret (§ 46). Iam quis sibi persuadeat huic casui Hyginum consuluisse ac providisse, neglexisse id quod facilius accidere poterat, ut equitatis legionibus castra metanda essent? cum praesertim, si cohortes equitatae in eo exercitu non essent, damnum refecturum fuisse imperatorem probabile sit additis exercitui equitatis legionibus, si tamen hae erant. Facilius vero potuisse fieri ut legiones equitatae, si erant omnino, essent in exercitu, quam ut deessent cohortes equitatae, numeris officitur.

Alia quoque parte Marquardtii sententia oppugnationi patet. Septimio enim Severo imperante statuit fuisse utriusque generis legiones, tollendorum equitum legionariorum quis consilium ceperit nescit. Si ante Septimium id consilium certum erat, hunc imperatorem legiones Parthicas quas novas constituit, puto non fuisse equitatu instructurum. Docet autem titulus anni 213 (CIL. VI 3409) hominem eum cui titulus positus est, anno 208 factum esse equitem legionis II Parthicae. Sin post demum quam legiones Parthicas formavit Severus consilium iniiit sensim gradatimque tollendi ex legionibus equites, certe sub finem eius imperii, cui temporari Marquardt fragmentum adscripsit, non tam multae legiones equitatu suo fuissent orbatae, ut equites legionarios scriptor plane negligere posset. Neque ego Septimium eum iudico fuisse virum, qui rem aliquam et maxime militarem, quam ad finem perducere ipsi liceret, adeo imperfectam relinqueret, ut annis post eius obitum triginta res eadem valeret, praesertim cum Caracalla et Severus Alexander cum in ceteris tum in militaribus rebus vestigia eius presserint.

Sed adhuc triarii mihi subsidunt, equites praetorianos dico, quos huic rei momentum adlaturos spero. Cohortes praetoriae fuere miliariae, quarum uni cuique centuriae (inde ab Hadriani aetate) equites aliquot additi erant. Iam inter exercitus partes adheruntur 'cohortes praetoriae IV, equites praetoriani CCCC'. Disiuncti numerantur, disiunctis loca in castris adsignantur, cum cohortium equitatarum pedites et equites una tendant, quamquam in his equi-

tes non adscripti fuerunt centuriis. Fieri id nullo pacto potuit, si antiqua cohortium praetoriarum ordinatio quam modo adumbravi, usque ad illud tempus obtinuerat. Duas igitur res novatas invenimus: suo equitatu carent et legiones et cohortes praetoriae. Vtramque mutationem ab uno imperatore factam esse si conlegero, certe nimiae audaciae crimen non merebor¹. Iam Septimio imperante fragmentum scriptum non esse lapides clamant, velut CIL. VI 2385 (a. 209), ubi in frustuli primi columna b v. 10 EQ. C. GENIALIS recensetur inter milites centuriae AEMILI VAL . . . Ne ante annum quidem 240 potest scriptum esse, quia etiam tum inveniuntur equites legionarii². Nam cum omnino tituli quibus equites legionum memorantur, rari sint, nequaquam licet conligere anno 240 uni legioni tertiae Italicae fuisse suos equites, praesertim cum titulus, quo eques legionis XI Claudiae exhibetur, etiam sequiori aetati tribuendus videatur.

Praetorias Hygini cohortes non esse miliarias eo comprobatur, quod duplam³ pedaturam ideo accipiunt, quod tentoriis maioribus utuntur et in strigis eorum etiam primipilares atque evocati tendunt (§ 6)⁴. Quam rem Lange inde explicandam censet, quod sine dubio si cohortes praetoriae in bellum ductae sint, pars aliqua ex singulis cohortibus Romae remanserit. Minime mihi haec sententia adridet. Cur enim singularum cohortium partem aliquam (maiorem scilicet, tam magnam ut ratio eius in castris metandis habenda esset) remansisse statuamus, si quattuor tantum cohortes

¹ Hoc est argumentum, analogia cohortium praetoriarum, ex quo supra scripsi certius effici ut equites in legionibus non sint. Quod equites legionarii prorsus sublatis sunt, cum praetoriani seiuncti tantum sint a cohortibus, non difficile explicatur. Legionarii equites sine magna dignitatis imminutione distribui poterant inter alas, non licebat idem fieri equitibus praetorianis. Poterant quidem hi quoque funditus tolli ea ratione ut supplementa eis non darentur. Sed quo tempore utraque mutatio facta est, nondum constitisse videtur consilium minuendi numeri praetorianorum. ² CIL. III 5942 (a. 240): eq. leg. III Ital. II 2663 (a. 216): equites leg. VII gem. Anton. Renier 821: eq. leg. III Aug. Antoniniana. Brambach 1034 (a. 231): equ. leg. XXII pr. p. f. CIL. V 896: 'Iustinus equis ilig. XI Cl . . militavit in corte statu posteriore' . . quem titulum Mommsen ephemer. epigr. IV p. 234 (43) ait cum propter sermonem inconditum tum ob alias causas ante quartum saeculum non posse scriptum esse. Mea tamen opinione aut ante quartum saeculum exaratus est aut neque eques legionarius neque hastatus posterior significatur. Ceterum de Ammiani hastatis rectius iudicavit Valesius ad Amm. XVI 12, 20. ³ Simplex intelligenda est cohortis legionariae (quingenariae) pedatura. ⁴ Schele in notis p. 42. Lange p. 129.

in expeditionem profectae sint¹? Langeo tum demum adsentiar, si quis argumentis certis ac probatis Hygini aetate cohortes eas demonstraverit fuisse miliarias. Interim eas nec miliarias fuisse et suo numero in bellum eductas esse meo iure mihi videor statuere. Quando vero miliariae esse desierint mihi non constat: a Septimio praetorianorum numerum non imminutum esse ex Herodianis verbis² conligitur. 'At enim non vicisti numerum praetorianorum solito esse minorem. Nam dempto ex cohortibus equite singula milia militum ne in pristinis quidem cohortibus praetoriis fuere'. Nescio quidem quoteni equites in eis fuerint³; certe numerus eorum non tantus fuit quantus in auxiliariis cohortibus equitatis. Sed tantum eum fuisse ponamus⁴. Tum demptis equitibus fuissent in singulis cohortibus septingeni sexageni pedites. Verum hic quoque numerus nimis amplus est pro spatio quod cohortibus conceditur. Accipiunt quidem tantum spatii quantum duae cohortes legionariae; sed et maioribus ipsi tentoriis utuntur et in eadem pedatura primipilaribus evocatisque loca adsignantur, qui omnes non possunt non centurionum⁵ modo tetendisse⁶. Quin etiam praetorias cohortes nostras non plures milites habuisse quam legionarias quingenarias ipse scriptor arguit. Duas enim adfert causas cur cohortes praetoriae duplam pedaturam accipiant. Quod si plures in his milites fuerunt, haec causa quoque erat satis gravis ne dicam gravissima, et quam scriptor vix praetermisisset⁷. Inepte fecisset verba si non totidem in utrisque cohortibus milites fuissent. Cohortes igitur praetoriae Hygini quingenariae fuere.

Quis vero est qui tanto opere imminuit praetorianos? Altissimum hac de re omnium scriptorum silentium. Vnus Victor (Caes. XXXIX 47) memoriae prodidit imminutum esse praetorianorum cohortium numerum a Diocletiano, quam rem licet fortasse coniungere⁸ cum illa quod Ioviani atque Herculiani 'longe in exercitu praestabant'⁹ eosque 'Diocletianus et Maximianus, cum ad imperium pervenissent' omnibus legionibus praetulerunt¹⁰. Victoris verba non intellego nisi laxiore quodam dicendi usu numerum cohortium dictum esse sumpsero pro numero militum in singulis cohortibus militantium¹¹, quoniam ipsarum cohortium numerus anno

¹ cf. Tac. hist. II 11. 18. III 55: integrae cohortes praetoriae tum in bellum videntur eductae esse. ² III 13, 4: τῆς ἐν Ρώμῃ δυνάμεως αὐτῆς τετραπλασιασθείσης. Inde qui conligunt praetorianorum numerum esse quadruplicatum, id quod in quovis libro poteris legere, errant. ³ Centenos vicenos fere equites fuisse puto. ⁴ Si minor fuit numerus, id etiam magis in meam facit partem. ⁵ Hyg. § 1. 27. 28. Polyb. VI 30, 5. ⁶ cf. Dio LV 24, 8. LXXVIII 5, 3 conl. c. Hdn. IV 13, 1 Spart. Car. 6, 7. Zander Andeut. z. Gesch. d. röm. Kriegsw. 5. Fortsetz. (1859) p. 24. Marquardt p. 376. ⁷ cf. § 3: 'Cohors prima . . quoniam duplum numerum habet, duplam pedaturam accipiet'. ⁸ cf. Burckhardt d. Zt. Const. d. Gr. p. 61. ⁹ Vict. Caes. XXXIX 18. ¹⁰ Veg. I 17. ¹¹ Eodem sensu nescio an accipiendum sit numeri vocabulum apud Ammianum XXI 6, 6: 'augebatur turmarum equestrium numerus parique studio supplementa legionibus scripta sunt indictis per provincias tirociniis'. cf. Tac. hist. II 69: 'amputari legionum auxiliorumque numeros iubet vetitis supplementis'.

298 non fuit deminutus¹. Certe Diocletianum imminuisse praetorianos intra XV priores imperii annos veri est similis quam intra VI posteriores. Accedit quod si minuere praetorianorum numerum decreverat, proximum erat ut ad quingenariarum statum eas cohortes redigeret, tum consequens ut integrae tollerentur cohortes.

Itaque cum non videam quid prohibeat numerum militum quem cohortibus praetoriis vindicavimus prisco minorem referri ad mutationem a Diocletiano factam, libellum nostrum post id tempus scriptum esse iudico. Neque vero ultra annum 312 progredi licet, quoniam tum penitus sublatis sunt praetoriani².

Restat difficultas una. Negat enim Marquardt Palmyrenos inde a Caracalli tempore adpellari potuisse nationem, cum cives Romani facti essent³. Quod vir doctus vellem demonstrasset. Certe Zenobia, quam civem Romanam fuisse non negaveris, a Trebellio Pollione (tyr. trig. 30, 2) peregrina adpellatur. Vnde non omnes scriptores fuisse sollicitos perspicimus in imponendis nominibus quae cui minus convenirent⁴. Ipsum vero hunc locum ita explico, ut numeros aliquos Palmyrenorum⁵, Dacorum, Britonum cet. fuisse cum exercitu sumam, qui suis armis suaque pugnandi ratione uterentur, velut saepissime qui leguntur sagittarii Osrhoeni, eos nusquam memini me legere more Romano ordinatos per cohortes. Eiusmodi numeri nationum si cum exercitu erant, quovis tempore poterant adpellari nationes, praesertim cum nationis suae vocabulo publice nuncuparentur Palmyreni itemque ceteri⁶. Haec cui audacius videntur coniectata esse, is caruisse statuatur necesse est Hygini exercitum levi armatura, quae tamen a nullo a fuit exercitu⁷.

Quod Dacia Romani intra annos 270 et 275 cesserunt, non impedit quin librum postea scriptum putemus. Nam etiam Getae in exercitu sunt quos dilectu habito probatos esse nemo opinabitur, et duae post fuerunt Daciae ripensis et mediterranea.

Bonnae.

Guilelmus Foerster.

¹ CIL. III p. 900 (dipl. LVII). ² Vict. Caes. XL 25. Zosim. II 17, 4. ³ Largior fuisse Palmyrenos cives Romanos, quamquam ex Vlpiani verbis (Dig. L 15, 1, 5) perperam id conlegit Marquardt; ea enim mutilata sunt, deest enuntiati pars qua dicatur, quae ratio intercedat inter Palmyrenos et census, utrum fuerint iuris Italici necne. ⁴ cf. Tillemont hist. d. emp. (Paris. 1720) III p. 105, cui tamen in eis quae de Treverorum civitate dicit, non adstipulor. ⁵ numerum Palmyrenorum habes CIL. III 837. 907. Renier 1638. num. Syror. sagitt. CIL. II 1180. Treb. Poll. Claud. 7, 5: 'omnes sagittarios Zenobia possidet'. Ruf. Fest. brev. 24: '[Zenobia] multis clibanariorum et sagittariorum milibus freta'. ⁶ cf. Tac. hist. II 58: 'decem novem cohortes, quinque alae, ingens Maurorum numerus aderat'. Spart. Pesc. Nig. 4, 2. ⁷ cf. Schmidt I Organ. u. Gefechtsweise d. l. röm. Fussvolks, Gymn. Bunzlav. lib. 1873, p. 7.